

tota patent campis. ut caeso limite victor
 rite atavo summo melior! cui Claudius acer,
 30 magnanimum sidus, dat clarum e numine divo
 imperium, Virtus quem felix optat alumnum.
 auges flore tuo nostrae tibi dedita vitae;
 orta micat fratrum fatalis gloria saeclo,
 res Latia ut voti compos sic gaudeat aucta.
 35 aspice! pacato parta est lux laeta sub orbe.

XI

Fortia facta ducis toto dominantia iam nunc
 orbe canam, quis laeta suo sub principe tanto
 rursum Roma tenet, mundi caput, inclyta, culmen.
 tu vatem, tu diva, mone! lacerata cruentis
 5 imperiis pars fessa poli divisa gemebat
 sceptra et Ausoniae maerebat perdita iura.
 siqua fides, tantis Romanum Gloria nomen
 insignit titulis, dominos ut libera quaerant
 maestaque iure suo trepidet plaga maxima mundi,
 10 unde iubar lucis primum radians Hyperion
 sideribus pulsis rutilo diffundit ab ortu.
 inde tuum nomen, multum memorabile cunctis,
 maxime bellantum domitor, lux unica mundi,